



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Avtvmnalis - A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad
Adventum

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ne quemquam pudeat ab errore recedere, ac cedere Veritati. Non enim
minus est gloriosum in hoc certamine vinci, quàm vincere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44846

Sed quot vitii peccat Tyrannus in Martyrem, tam multa possunt dici causae propter quas Martyr Martyrium sustinet. Nempe in Exemplo nostro, peccabat Maximinus in sanctam Catharinam libidine, Impietate, & Injustitia: Et his tribus ex vitiiis tres causae factae sunt ejus Martyrii. Prima ex libidine qua deperibat Virginem, & quam cum Virgo contemneret, haec fuit causa quamobrem Imperator Martyrium Virgini decreverit.

Secunda ex Impietate contra Christianam Religionem quam Catharina profitebatur & quam Maximinus persequebatur, quae ratio cum à precedente sit diversa, diversam etiam constituit Martyrii causam.

Tertia ex Injustitia & ferocitate, quod nempe Virgo convertisset Philosophos, Imperatricem & Ducem belli, cum furens Maximinus injuste Virginem velut ream & noxiam condemnavit: quae causa cum sit etiam ab aliis distincta & diversa propter quam separatim quando illa sola fuisset, morte libens Catharina passa esset, profecto non desinit habere suum effectum & meritum, licet juncta sit aliis. Sicut enim Tyrannus Martyrium imperans ex triplici vitio, ter Tyrannus dici potest, sic profecto ter Martyr Catharina, propter triplicem ejus Virtutem oppositam tribus illis vitiiis, nempe Virginitatem, Fidem, & Fidei Zelum, quae sunt tria motiva, quorum ex uno separato parata Virgo erat mortem subire, sicut revera subiit conjunctim cum aliis duobus motivis.

O quam proinde vera est illa Veritas qua dicitur.

Inimici nostri magis prodesse possunt odio, quam profuisse obsequio.

In 1. p. Die 28. Decembris.

Ne quemquam pudeat recedere ab errore, & cedere Veritati: non enim minus est saepe gloriosum in hoc certamine vinci, quam vincere.

Ratio est, quia vinci hoc in certamine nihil aliud est quam errorem suum agnoscere, ac oppositam Veritatem profiteri.

Sed non minus saepe est hoc gloriosum coram Deo quam vincere seu docere ac revocare ad Veritatem errantes: Ubi adverte parem in imparitate Victoriam. Nam victrix Catharina fuit non solum quia Philosophos vicit sed quod à Tyranno victa non fuit. Sic ipsi Phi-

losophi victores fuerunt, non tantum quia fuerunt Martyres, sed quia vicerunt Tyrannum: sed quia etiam à Catharina victi sunt, cum sic vinci sit vincere.

¶ Vide in 3. p. Fer. 2. Hebd. 7. ubi haec Veritas exhibetur:

Majoris est animi se divinae Fidei supponere, quam se illi opponere.

Videri et possent qua sequuntur:

Sicut martyrio vita naturalis, sic mortificatione vita sensualis.

Id est,

Sicut ne pereat fides, perdenda est martyrio vita naturalis, sic ne pereat fidelitas, perdenda est mortificatione vita sensualis.

In 1. p. De sanctis Martyribus.

Nemo cum Christo candidus, nisi sit simul rubicundus.

Id est, nisi sic amet candorem & puritatem Conscientiae, ut pro ea tuenda sit paratus mori.

In 2. p. Dominica Passionis.

In Infirmitate virtus; In Impotentia Potentia.

In 2. p. Fer. 4. Pascha.

Quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere, tanta modo est ignominia vinci à mundo.

In 2. p. Dom. 1. post Pascha, Haec est victoria qua vincit mundum, fides nostra.

Satius esset nullo die velle vivere, quam non omni die velle cum Christo mori.

In 3. p. Fer. 5. hebdom. 2.

Plus est quod Christus monet ne terreamur, quam quod movent inimici ut nos terreant.

In 3. p. Fer. 6. hebdom. 10.

Mortificatione potius tibi sunt omnia subtrahenda, quam quid mortificationi detrahendum.

In 3. p. Die 24. Augusti.

Nisi diligenter advertas, ore facta Confessio, factis a te negatur.

In 4. parte, Fer. 2. hebdom. 15.

Quam